



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Seculi VIII. Continuatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

in Germaniam advenerat. Non latere potuit hunc Germanorum Apostolum, & simillimum Argo Ecclesiae custodem nonnullorum Episcoporum, & multorum Sacerdotum negligentia; qua de causa celebratis tum Moguntiae, tum in aliis Germaniae urbibus Episcoporum conciliis, auditâ etiam Gervilij audaciâ, latâ in illum Pontificis nomine sententiâ, monasterio inclusit, in quo annis 14. delituit, & vitae partem ultimam inter optimos pœnitentiæ fructus absolvit. Pœnitentiam Gervilij epithaphij loco posteris legendam reliquit Poeta hunc in modum canens:

Patrius affectus me movit ad arma cruenta:

Pœnam quam merui, dignius ergo tuli.

In claustro latui pro crimine tempore vitæ:

At licet hic lateam, spero salutis opem.

---

P E R I O D U S II.  
DE ARCHIEPISCOPIS MOGVNTIÆ,  
S E C U L I VIII.

Continuatio.

I. D. BONIFACIVS.

**D.** Bonifacius in Anglia si non ex regio, saltem ex illustrissimo genere natus, illustrioribus longè virtutibus genus suum exornavit, in D. Benedicti monasteriis ab anno ætatis suæ 13. educatus, & optimis moribus literisque formatus. Inter Magistros Bonifacij eminuit Ven. Beda vir sua ætate nulli secundus. Post annum ætatis 30. Christi 718. missus Sacerdos dotibus raris instructus venit ad Germanos, qualem & ipsum origine fuisse tradunt. Frisia erat, quæ provinciis cæteris præripuit



puit primum honorem, ubi collectis animarum ritè credentium  
 manipulis copiosissimis Romam petiit; & ibidem à D. Gregorio  
 Pontifice Episcopus consecratus, positoque *Vvunefridi* nomine ve-  
 teri, nomen Bonifacij accepit, ac Germaniam repetiit, impetrata  
 prius facultate disponendi de rebus plurimis in Ecclesia Germanica.  
 Amœnoburgi non usque adeò procul remota à Moguntinis urbe,  
 primò cathedram suam erexit & aram instruxit. Tum verò Mo-  
 guntiae, & mox in Thuringa, Hassia aliisque provinciis ad confer-  
 tissimum dixit populum fructu constanter maximo, bene cœpta  
 promoventibus Superis. Romam denuo, imò jam tertio profe-  
 ctus, & à D. Gregorio III. Pont. amplissimis privilegiis munitus,  
 in Germaniam redux Episcopatus varios partim instituit, partim  
 instauravit. Inter Episcopatus institutos venerunt Herbipolen-  
 sis, Eustadianus & Erfordensis. Inter instauratos jure censetur  
 Episcopatus Moguntinus: anno enim 745. cùm Gervilius, uti  
 memoratum, pœnitentiæ ergo monasterium petere jussus, sedem  
 suam reliquisset viduam, eadem occasione Archiepiscopatus Wor-  
 matiâ Moguntiam translatus, & Bonifacio à D. Zacharia Ponti-  
 fice, ita rem disponente potissimum Pipino Gallorum Rege, est  
 concessus, imò maximè invito impositus totius populi Christia-  
 stiani applausu prorsus singulari. Bonifacius itaque primus Mo-  
 guntiae Archiepiscopus septem annorum intercapedine rem præ-  
 stitit humanis viribus longè superiorem. Novo demum, quin  
 veteri denuo accensus animarum Zelo id à Pontifice impetravit  
 multis precibus, & regio Pipni suffragio, ut pluribus Sacerdotibus  
 stipato licuerit secundo Rheno descendere ad Frisones in dies ma-  
 gis convertendos & confirmandos: verùm ibidem post exantla-  
 tos labores plurimos, & conductos ad Christi aras sanè diversos  
 multosque, unà cum sociorum electa cohorte à latronibus est oc-  
 cibus an. 755. Exuviae sacrae Divi Martyris primò Ultrajectum,  
 inde verò Moguntiam, & demum Moguntia Fuldam translatae  
 sunt, nunquam non miraculis insignibus conspicuae, fidem non ne-  
 ganti.



gantibus ipsis Scriptoribus Heterodoxis, è quibus vid. *Hübnerus*,  
*Lexicon Lipsiense. &c.*

## II. D. LVLLVS.

**D.** Lullus inter populares D. Bonifacij in Britannia natus, antecessorem suum vel sanguinis propinquitate, vel certè morum, studiorum & religionis affinitate contingebat. Conjunctio profectò animorum tanta inter utrumque fuit, ut eadem successorem ad imitationem antecessoris potentissimè pertraxerit. Lullus namque ut Bonifacij Germanorum Apostoli audiret verba & sequeretur exempla amplius, in Germaniam venit eo secundissimo rerum eventu, ut Bonifacius ipse ad Frisones Orthodoxo dogmate in dies magis instruendos, toto pectore incumbens, abdicata omni dignitate neminem Lullo idoneum magis judicaverit, ut sibi succederet: cuius sententiæ pariter fuerunt Stephanus III. Rom. Pont. & Pipinus Rex, commoti facilè multis viri præstantissimi meritis, præsertim postquam pervenit Romam inter Concilij Romani Patres maximi æstimatus. Permagni faciendum esse existimavit etiam Wittekindus Saxonum Rex & Dux M. ab Archipræsule Lullo dogmate Romano instructus, & Baptismatis salutari aqua ablutus. Annis 32. partim servandæ, partim plantandæ consecravit Ecclesiæ Moguntinæ, in qua extractis ædibus sacris, et cœnobiis compluribus, singularis zeli, vigilantia, prudentia, doctrinæ & sapientiæ reliquit argumenta, monumentis etiam hodie variis posteritati comprobata: inter quæ æstimemus non parvi & illud, quo D. Archipræsul ab anno obitus sui 60. restituit subitò vigorem pedi, cui paulò antè Sepulchralis ejusdem B. Archiepiscopi lapis è tumulo levatus, atque in pedem adstantis fortè delapsus, omnem ademerat usum. Non omittendum illud etiam, quo Archipræsul sanum atque incolumem Alboinum Buriburgensem Præsulem brevè moriturum prædixit, & sibimet mortis articulum propinquissimum adesse cognovit an. 787. Caput B. Lul-



B. Lulli Hermannus ad S. Gothardum Ord. D. Benedicti Abbas Collegio Soc. JESU Moguntia inter reliquias sacras servandum donavit, Hildesia translatum an. 1603.

### III. RICHOLPHVS.

**R**icholphi post D. Bonifacium Moguntia Archipræsulis secundi, quamvis natales & acta prima lateant, minimè latent tamen gesta & fata ultima. Regi & demum Imperatori Carolo M. à consiliis constanter, id bene meritis suis impetravit haud difficulter, ut Cæsaris interventu Pontifici placuerit Archiepiscopus, cuius difficile munus ea methodo obist, ut à quo reprehensus sit, non invenias, à quo laudatus fuerit, etiam hodie nullo labore reperias. Ad amissim verò ut fierent omnia à subjectis Richolpho Episcopis & Sacerdotibus, nec deesse passus est monita, nec præcepta Ecclesie Romanæ autoritate præmunita: unde ex Hispania Moguntiam usque transferri curavit Canones Pontificios Isidori Mercatoris operâ eleganti ordine donatos. Quò magis verò constaret omnibus ritè de Ecclesie legibus, an. 813. Moguntia Synodum celebravit, & alteri Synodo Wormatia celebratæ interfuit. Circa eadem tempora DD. Aurei & Justinæ sacras reliquias populo visendas & honorandas proposuit, simulque D. Albani honoribus dicatum templum magnificentissimè extruxit: dein verò quocum consilia vivus conferebat, cum eodem Imperatore mortis sententiam sustinuit an. 814. cum Carolo M. mortuus post annos Sed. 17.

## SECULUM IX.

### IV. AISTVLPHVS.

**A**istulphus B. Lulli discipulus, in qualem quantumque deniq; Magistrum evaserit, multorum loco sit testis Rabanus, fortè etiam Aistulphi discipulus doctissimus, & in Sede Moguntina